

Dicto primo Versu , surgit Pontifex , et sedet in faldistorio cum mitra , et depositis chirothecis , et annulo Pontificali reassumpto , ponitur ei gremiale , sive mappa super gremium , et singuli ordinandi successive coram eo genua flectunt ; et Pontifex cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas , in modum crucis , producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas , videlicet , a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistrae , et a pollice sinistrae usque ad indicem dexteræ , unguendo mox totaliter palmas , dicens , dum quemlibet inungit :

**C**ONSECRARE , et sanctificare digneris , Domine , manus istas per istam unctionem , et nostram bene ✠ dictionem. *r.* Amen.

Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat , et prosequitur : Ut quæcumque benedixerint , benedicantur , et quæcumque consecraverint , consecrentur , et sanctificentur , in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Et quilibet ordinandus respondet : Amen.

Tum Pontifex claudit , seu jungit manus cuilibet successive , quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul , videlicet , dexteram super sinistram alligat ; et mox unusquisque ad ordinem suum redit ; et sic clausas , et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis , et consecratis , Pontifex pollicem cum medulla panis abstergit ; tum tradit cuilibet successive Calicem cum vino , et aqua , et Patenam superpositam cum Hostia , et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos , et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt , Pontifice singulis dicente :



**A**CCIPE potestatem offerre sacrificium Deo , Missasque celebrare , tam pro vivis , quam pro defunctis. In nomine Domini. *r.* Amen.

His peractis , Pontifex lavat manus cum medulla panis , et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium ; deinde cum mitra revertitur ad sedem suam , vel ad faldistorium in cornu Epistolæ , in plano sibi paratum , ubi sedet cum mitra. Et chorus cantat ultimum Versum Tractus , vel Sequentiæ , sive Allelúia. Interim accedunt duo Capellani ante Pontificem cum libro et candela , qui ex eo legit dictum ultimum Versum Tractus , vel Sequentiæ , sive Allelúia , legit etiam secreta Munda cor meum , atque Evangelium.

Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus , et dicit : Munda cor meum , etc. et cantat Evangelium. Interim parantur per ministros Hostiæ super altare , pro numero

ordinatorum in ordinibus sacris, qui omnes communicare debent, et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis, quibus ligatæ erant, et aqua ablutionis hujusmodi projiciatur in sacrarium.

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens accipit Offertorium ab omnibus ordinatis, qui omnes accedunt bini, et bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur ejus manum; primo Presbyteri, tum Diaconi successive, et alii suo ordine.

Accepto singulorum Offertorio, Pontifex lavat manus, et surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi habeant libros coram se, dicentes:

Súscipe, sancte Pater, etc. et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex: qui tamen bene advertat, quod Secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.

Secreta pro ordinatis, quæ dicitur cum Secreta Missæ diei sub unq̄ Per Dóminum, etc.

**T**uis, quæsumus Dómine, operáre mystériis, ut hæc tibi múnera dignis méntibus offerámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Cum Pontifex dixerit orationem, Dómine Jesu Christe, qui, etc. osculatur altare, et dat primo ex singulis

ordinatis cujuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens: Pax tecum. Cui ille respondet: Et cum spíritu tuo.

Et quilibet illorum dat sequenti sui Ordinis secum ordinato, et ille alteri, et sic usque ad ultimum continuatur. Si autem ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi: quibus ordinate dispositis, et genuflexis, Pontifex facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu Evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex Diaconis et Subdiaconis tantum dicunt submissa voce:

**C**ONFITEOR Deo omnipoténti, beátæ Mariæ semper virgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et tibi pater: quia peccávi nimis cogitatione, verbo, et ópere, mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariam semper virginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te pater, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Et si Officium fiat in cantu, unus de noviter ordinatis illud cantat.

Et Pontifex stans capite detecto, versus ad eos dicit intelligibili voce, nisi Officium fiat in cantu:

**M**ISEREATUR vestri omnipotens Deus, et dimíssis peccá-tis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. *R.* Amen.

**I**NDULGENTIAM, absolutiónem, et remissionem peccató-rum vestrórum, tríbuat vobis omnipotens, et miséricors Dóminus. *R.* Amen.

Et manu dextra signum crucis super eos communiter producit. Presbyteri ante communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici, propterea si non sunt alii ordinati, Confessio, et Absolutio prædictæ omittuntur.

Tum accedunt ordinati ad supremum gradum altaris, bini et bini. Pontifex vero ponit plures Hostias consecratas super Patenam, quam ori cujuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens:



**C**ORPUS Dómini nostri Jesu Christi custódiat te in vitam ætérnam.

Quilibet respondet : Amen.

Et priusquam communionem sumat, manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur.

Unus ministrorum Pontificis stat juxta cornu Epistolæ altaris Calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant.

Omnibus communicatis, Pontifex extergit Patenam super Calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

Pontifex, lotis manibus, mitra deposita, stans in cornu Epistolæ altaris, versus ad illud inchoat in cantu, schola prosequente, Responsorium, quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine Allelúia.

8 Toni.




Jam non di-cam vos ser - vos, sed a-mi-cos



me - - os, qui-a o-mni-a co-guo-vi - - stis,



quæ o-pe-ra - tus sum in me-di-o ve - stri,



Al-le - lu - ia. \* Ac-ci - - - pi-te



Spi - ri - tum san-ctum in vo - - - bis pa-

ra - eli - tum. \* Il - le est , quem

Pa - ter mit - tet vo - bis , Al - le - -

lu - ia. *ŷ.* Vos a - mi - ci me - i e - - - -

stis , si fe - ce - ri - tis , quæ e - go præ -

ci - - pi - o vo - - - bis.

\* Ac - ci - - pi - te. *ŷ.* Glo - ri - a -

Pa - tri , et Fi - li - o , et Spi - ri - -

tu - i san - - cto. \* Il - le est , quem.

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur fidem, quam prædicaturi sunt, dicentes :

**C**REDO in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dóminum nostrum. Qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Virgine, passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, et sepúltus : descendit ad inferos ; tértia die resurréxit a mórtuis : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum ; sanctam Ecclesiám Cathólicam ; Sanctórum communionem ; remissionem peccatórum ; carnis resurrectionem ; vitam ætérnam. Amen.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet :

**A**Ccipe Spíritum sanctum, quorum remiseras peccáta, remittúntur eis ; et quorum retinúeris, reténta sunt.

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens :

**S**TOLA innocéntiæ induat te Dóminus.

Et mox unusquisque iterum ad Pontíficem accedit ; et genuflexus ponit manus suas junctas inter manus Pontíficis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius :

**P**ROMITTIS mihi, et Successóribus meis reveréntiam, et obediéntiam ?

Et ille respondet : Promitto.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut præfertur, dicit singulis Presbyteris sæcularibus :

Promittis Pontífici Ordinário tuo, etc.

Singulis vero Regularibus :

Promittis Prælato Ordinário tuo , etc.

**P**ROMITTIS Pontifici (vel Prælato) Ordinário tuo pro tẽ-  
pore existẽti reverẽtiam , et obediẽtiam ?

Et ille respondet : Promitto.

Tunc Pontifex tenens manus illius inter suas , oscu-  
latur unumquemque , dicens :

Pax Dõmini sit semper tecum.

Et ille respondet : Amen.

His expletis , et eis ad ordinem suum reversis , Ponti-  
fex sedens cum mitra , et baculo , admonet eos , dicens :

**Q**UIA res , quam tractatũri estis , satis periculõsa est , filii  
dilectissimi , moneo vos , ut diligẽter totius Missæ  
ordinem , atque Hõstiaẽ consecrationem , ac fractionem ,  
et communionem , ab aliis jam doctis Sacerdotibus discã-  
tis , priusquam ad celebrandum Missam accedãtis.

Pontifex surgit cum mitra , et baculo , et Presbyteris  
coram eo adhuc genuflexis benedicit , dicens voce com-  
petenti :

**B**ENEDICTIO Dei omnipotẽtis Pa-  
tris , et Filii ,  
et Spiritus sancti descendat super vos ; ut sitis  
benedicti in ordine sacerdotali ; et offerãtis placãbiles  
Hõstias pro peccãtis , atque offensionibus põpuli omni-  
potẽti Deo , cui est honor , et glõria per õmnia sæcula  
sæculõrum. *R.* Amen.

Post hæc Pontifex , deposita mitra , et amoto faldistorio ,  
convertitur ad altare , prosequitur Missam , et cantatur  
Communio ; et dicitur hæc Postcommunio pro ordinatis  
sub uno Per Dõminum , cum Postcommunione Missæ diei.

POSTCOMMUNIO.

**Q**uos tuis , Dõmine , reficis Sacramẽtis , continuis  
attõlle benignus auxiliis ; ut tuæ redemptionis effe-  
ctum et mystẽriis capiãmus , et mõribus. Per Dõminum

nostrum Jesum Christum Filium tuum , qui tecum vivit ,  
et regnat in unitate Spiritus sancti Deus , per õmnia  
sæcula sæculõrum. *R.* Amen.

Deinde dicitur , Benedicãmus Dõmino , vel , Ite Missa  
est , prout tempus requirit , et per Pontificem , Placẽat  
tibi sancta , etc.

Quo dicto Pontifex , accepta mitra , et baculo Pastro-  
rali , dat benedictionem solitam , dicens : Sit nomen  
Dõmini benedictum , etc.

Tum sedet , et alloquitur ordinatos sub his verbis :

**F**ILII dilectissimi , diligẽter considerãte Ordinem per  
vos susceptum , ac onus hũmeris vestris impõsi-  
tum ; studẽte sancte et religiõse vivere , atque omni-  
potẽti Deo placẽre , ut grãtiam suam possitis acqui-  
rere ; quam ipse vobis per suam misericordiam concẽ-  
dere dignetur.

Singuli ad primam Tonsuram , vel ad quãtuor minores  
Ordines promoti , dicite semel septem Psalmos pœni-  
tentiãles , cum Litanis , Versiculis , et Oratiõibus. Ad  
Subdiaconatum , vel Diaconatum , Nocturnum talis diei.  
Ad Presbyteratum vero ordinati post primam vestram  
Missam , tres alias Missas , videlicet , unam de Spiritu  
sancto , aliam de beãta Maria semper virgine , tertiam  
pro fidelibus defunctis dicite , et omnipotẽtem Deum  
etiam pro me orãte.

Quod illi devote suscipiunt , et respondent se facturos.

Tum Pontifex convertit se ad altare , et dicit submis-  
sa voce : Dõminus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secũdum Joãnnem. In prin-  
cipio , etc.

Signat altare , et se ; et revertitur ad sedem , vel ad  
faldistorium , ubi exiit sacris vestibus. Ordinati etiam  
ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium , et in loco  
convenienti sacras vestes deponunt , et cum eis alii  
ordinati.